IN LOCOS ALIQUOT HERODOTEOS

AD

SAMUELEM ADRIANUM NABERUM

COMMENTARIOLUS.

»Utilissimum praeceptum est adolescentibus, qui exercere se cum aequalibus volunt ad facultatem aliquam firmius sibi comparandam, ne eos potissimum deligant, quibus se superiores esse cognoscunt: sed quo quisque maxime excellit, eo illum potissime provocent: luctu, saltu, cursu cum iis contendant, qui horum quodque optime facere putentur. Illud enim ostendere se cupientium est, hoc eorum, qui progredi quotidie longius, et semet ipsis meliores fieri student." Xenophontis in *Cyropaedia* sententiam, elegantissime a Mureto Latinis verbis expressam *Var. Lect.* XIX. 21, animo meo fuisse obversatam persuasum velim Tibi habeas, ut ante editas Tuas lucubrationes *Herodoteas*, quum de variis historicorum primi ac principis locis aut praesentes aut per literas disputaremus, ita post accuratae lectionis fructus in publicum a Te editos, quum ad hanc facem suavissimi scriptoris Musas denuo perlegerem. Atque ea mente velim accipias levidenses aliquot, quas inter legendum annotavi, correctiunculas, ad tertium potissimum librum pertinentes, post vindemias, quas Tu fecisti lautissimas, quasi raras ἐπιφυλλίδας. In his sunt, quas Tuas esse summo iure contendere posses, quippe natas ex observationibus, quas Tu fecisti non uni loco profuturas, sed multorum locorum certam emendationem prae se ferentes: in aliis, aut praetermissis Ti-

bi, aut in praesenti omissis, an bene res mihi cesserit, penes Te erit iudicium.

Exponitur libri III cap. 9, qua ratione, coriis consutis, Arabum rex e Coryte fluvio aquam deduxerit in aridiores regni tractus: ἀγαγεῖν διὰ δὴ τούτου (scil. τοῦ ὀχετοῦ) τὸ ὕδωρ, ἐν δὲ τῇ ἀνύδρῳ μεγάλας δεξαμενὰς ὀρύξασθαι, ἵνα [δεκόμεναι] τὸ ὕδωρ σώζωσι. Ὁδὸς δ' ἐστὶ δυώδεκα ἡμερέων ἀπὸ τοῦ ποταμοῦ ἐς ταύτην τὴν ἄνυδρον· ἄγειν δέ μιν δι' ὀχετῶν τριῶν ἐς τριξὰ χωρία. In his insiticium esse vocabulum δεκόμεναι haud maiore credo opera evincam, quam qua facile unumquemque in sententiam meam tracturum me esse confido, pro ἄγειν restituendum esse ἀγαγεῖν. Sed ne hisce quidem abstersis mendis, rite, si quid video, oratio procedit. Rideri solemus, qui Grammaticae severas leges Graecis et Latinis scriptoribus imponere et ad logicae tristem normam eos redigere nitimur, sed ab iis potissimum, qui neque Grammaticae neque Logicae nimium tribuere solent. Quotiescumque locum legi, vel in libero, remissiore et familiari dicendi genere, quo HERODOTUM ad poeticam licentiam proxime accedere scio, moratus me est praeposterus sententiarum ordo, quo secundo loco enuntiasse scriptor putatur, quod in cogitando necessario primum locum obtinuerat. Quanto melius oratio procederet, si hanc scriptoris manum fuisse crederemus: ἀγαγεῖν διὰ δὴ τούτου τὸ ὕδωρ, ἐν δὲ τῇ ἀνύδρῳ μεγάλας δεξαμενὰς ὀρύξασθαι, ἵνα τὸ ὕδωρ σώζωσι· ἀγαγεῖν δέ μιν δι' ὀχετῶν τριῶν ἐς τριξὰ χωρία. Ὁδὸς δ' ἐστὶ δυώδεκα ἡμερέων ἀπὸ τοῦ ποταμοῦ ἐς ταύτην τὴν ἄνυδρον. Eadem de confusis neque ipsius scriptoris culpa inverso ordine collocatis sententiis suspicio compluribus locis mihi est subnata, v. c. III. 31. 3.

Quod in eiusdem libri cap. 18 in verbis φάναι δὲ τοὺς ἐπιχωρίους ταῦτα τὴν γῆν αὐτὴν ἀναδιδόναι ἑκάστοτε sententia mea, pro αὐτήν legendum esse αὐτομάτην, Tuum tulerit assensum, est quod magnopere laeter. At Tu idem pervelim suffragio Tuo sustentes, quod, eiusdem fere generis, conieci III. 44. Sermo est de Aethiopia. Αὕτη δὲ χρυσόν τε φέρει πολλὸν καὶ ἐλέφαντας ἀμφιλαφέας καὶ δένδρεα πάντα ἄγρια καὶ ἔβενον καὶ ἄνδρας μεγίστους κτέ. Vocabulum πάντα cur vitium in se continere censeam, facile intelliges: neque admodum dubito, quin scribendum sit καὶ δένδρεα παντοῖα ἄγρια. Meministi hanc

paragraphum legi apud Xenoph. *Anab.* I. 5. primam: δένδρον δ' οὐδὲν ἐνῆν, θηρία δὲ παντοῖα, qui locus παράλληλος est Herodoteo. Quid intersit inter utrumque vocabulum, omnium optime ex iis apparet locis, quibus coniuncta leguntur, ut in Plat. *Phileb.* 30, B: Οὐ γάρ που δοκοῦμέν γε, ὦ Πρώταρχε, τὰ τέτταρα ἐκεῖνα . . . . . . πᾶσαν καὶ παντοίαν σοφίαν ἐπικαλεῖσθαι.

Ut capitis 22 in fine vix cum usu Herodoteo videtur convenire, quod in verbis τοῦτο γὰρ ἑωυτοὺς ὑπὸ Περσέων ἑσσοῦσθαι, genitivo ab ἑσσοῦσθαι pendenti, praepositio insuper est addita (eiusdem perissologiae exempla exstant III. 106, IV. 197), ita suae aetatis adulterata dialecto Ionicum dicendi morem pepulisse contendo librarios compluribus locis, ubi ἑκάς, spreto usu Ionico, quem ex Homero fugare non licuit[1], tamquam adiectivum considerabant, cui alteram praepositionem subiungebant. Eo nomine peccatum est v. c. III. 41. 2: ὡς δὲ [ἀπὸ] τῆς νήσου ἐγένετο ἑκάς. IX. 93: ἐν δὲ ἄντρῳ αὐλίζονται [ἀπὸ] τῆς πόλιος ἑκάς. Idem de superlativo ἑκαστάτω valet, quem modo adverbii, modo praepositionis vicem sustinere videbis. cf. IV. 204, IX. 19 et I. 134. Variis rationibus Herodoti libros fuisse adulteratos, exemplorum satis magno numero Tu quidem ostendisti; sed quid me vetat nova quaedam et ipsum indicare, recordatum decantati illius σύν τε δύ' ἐρχομένω, praesertim quum hoc librariorum machinationes et molimina indagandi munus aliquam cum nocturna Laërtiadae et Tydidae expeditione similitudinem referat. Quis admonitus dubitabit, III. 38: οὕτω μὲν νυν ταῦτα νενόμισται, καὶ ὀρθῶς μοι δοκέει Πίνδαρος ποιῆσαι, νόμον πάντων βασιλέα [φήσας] εἶναι, vocabulum φήσας librario esse reddendum, cuius e penore desumptum est. Quem ipse Herodotus compluribus locis docere potuerat, ποιεῖν haud raro exquisitiorem illam adsciscere significationem, quam verbis ποιητής, ποίημα inesse ne librarium quidem latebat. Quamvis eorum, quae Tu de locutionis τε καί apud Herodotum usu disputasti *Mnem.* IV. 1. 2, bene meminerim, tamen vix a me possum impetrare, quin glossematis inde ortis, quod rariori vocabulo serioris aetatis synonymum adpingeretur, in aliis

[1]) Vide Homerica exempla apud Lehrs, *Aristarch.* p. 141, adnot.

et haec adnumerem: III. 26: *ἄριστον δὲ αἱρεομένοισι αὐτοῖσι ἐπιπνεῦσαι νότον [μέγαν τε καὶ] ἐξαίσιον.* III. 80: *φθονέει γὰρ τοῖσι ἀρίστοισι περιεοῦσί [τε καὶ ζώουσι].* Alius generis haecce sunt, quae digito monstrasse sufficit: I. 32: *ἄτην μὲν καὶ ἐπιθυμίην οὐκ ὁμοίως δυνατὸς ἐκείνῳ ἐνεῖκαι, ταῦτα δὲ ἡ εὐτυχίη οἱ ἀπερύκει, ἄπηρος δέ ἐστι, [ἄνουσος], ἀπαθὴς κακῶν, εὔπαις, εὐειδής.* III. 45: *Πρὸς δὲ τούτοισι οὐδὲ λόγος αἱρέει, τῷ ἐπίκουροί τε [μισθωτοὶ] καὶ τοξόται οἰκήϊοι ἔσαν πλήθεϊ πολλοὶ, τοῦτον [ὑπὸ] τῶν κατιόντων Σαμίων ἐόντων ὀλίγων ἑσσωθῆναι.* III. 65: *εἴτε καὶ σθένεϊ τεῳ κατεργασάμενοι, [σθένεϊ] κατὰ τὸ καρτερὸν ἀνασώσασθαι.* IV. 115: *Ἐπείθοντο [καὶ ἐποίησαν] ταῦτα οἱ νεηνίσκοι.* V. 20: *Ταῦτα εἴπας Ἀλέξανδρος παρίζει Πέρσῃ ἀνδρὶ ἄνδρα Μακεδόνα ὡς γυναῖκα [τῷ λόγῳ].* VI. 116: *Οὗτοι μὲν δὴ περιέπλωον Σούνιον, Ἀθηναῖοι δὲ, ὡς ποδῶν εἶχον [τάχιστα] ἐβώθεον ἐς τὸ ἄστυ.* VII. 15: *Μετὰ μέντοι οὐ πολλὸν χρόνον μετέγνων [ἔγνων δὲ] ταῦτα μοι ποιητέα ἐόντα.* VII. 17: *οὔτε ἐς τὸ μετέπειτεν, οὔτε ἐς τὸ παραυτίκα [νῦν] καταπροΐξεαι.* Iisdem supplendi, illustrandi, lectoribus, quos cogitabant plumbeos omnino ac stipites, subveniendi pruritui tribuam, quod III. 16 in vocabulis: *ὡς μέντοι Αἰγύπτιοι λέγουσι, οὐκ Ἄμασις ἦν ὁ ταῦτα παθὼν, ἀλλ' ἄλλος τῶν τις Αἰγυπτίων,* elegantior periit locutio: *ἀλλὰ τῶν τις Αἰγυπτίων.* Eiusdem generis sunt: III. 69: *καὶ ἢν μὲν φαίνηται ἔχων ὦτα, νόμιζε σεωυτὴν Σμέρδι τῷ Κύρου συνοικέειν, ἢν δὲ μὴ [ἔχων], σὺ δὲ τῷ μάγῳ Σμέρδι.* IV. 104: *ἵνα κασίγνητοί τε ἀλλήλων [ἔωσι] καὶ οἰκήϊοι ἐόντες πάντες μήτε φθόνῳ μήτ' ἔχθεϊ χρέωνται ἐς ἀλλήλους.* IV. 113: *Καὶ φωνῆσαι μὲν οὐκ εἶχε (οὐ γὰρ συνίεσαν ἀλλήλων), τῇ δὲ χειρὶ ἔφραζε ἐς τὴν ὑστεραίην ἐλθεῖν ἐς τωὐτὸ χωρίον καὶ ἕτερον ἄγειν, [σημαίνουσα δύο γενέσθαι] καὶ αὐτὴ ἑτέρην ἄγειν.* IV. 201: *νυκτὸς τάφρον ὀρύξας εὐρέην ἐπέτεινε ξύλα ἀσθενέα ὑπὲρ αὐτῆς, [καθύπερθε δὲ] ἐπιπολῆς* (inserendum *δὲ*) *τῶν ξύλων χοῦν γῆς ἐπεφόρησε.* V. 2: *Ὡς δὲ ἐχειρώθη ἡ Πέρινθος, ἤλαυνε τὸν στρατὸν ὁ Μεγάβαζος διὰ τῆς Θρηΐκης, πᾶσαν πόλιν καὶ πᾶν ἔθνος τῶν ταύτῃ οἰκημένων ἡμερούμενος τῷ βασιλέϊ· ταῦτα γάρ οἱ ἐντέταλτο ἐκ Δαρείου [Θρηΐκην καταστρέφεσθαι].* VI. 69: *ἐκ δὲ ὀνοφορβῶν αὐτῷ δὲ Λευτυχίδῃ, καὶ τοῖσι ταῦτα λέγουσι τίκτοιεν αἱ γυναῖκες [παῖδας].* Nolo Te detinere foedarum interpolationum enumeratione, quibus in nomina propria grassati sunt aut

librarii aut interpretes. Instar omnium est, quod Tu primus vidisti, VII. 10: *σὺ δὲ, ὦ παῖ Γωβρύεω* [*Μαρδόνιε*]. Cui ex meo penore haecce accedant: I. 53: *τοῖσι δὲ ἄγειν μέλλουσι τῶν Λυδῶν ταῦτα τὰ δῶρα ἐς τὰ ἱρὰ ἐνετέλλετο ὁ Κροῖσος ἐπειρωτᾶν τὰ χρηστήρια εἰ στρατεύηται ἐπὶ Πέρσας* [*Κροῖσος*] *καὶ εἴ τινα στρατὸν ἀνδρῶν προσθέοιτο φίλον*. IV. 95: *οἷα Ἕλλησί τε ὁμιλήσαντα καὶ Ἑλλήνων οὐ τῷ ἀσθενεστάτῳ σοφιστῇ* [*Πυθαγόρῃ*]. IV. 97: *Δαρεῖος δὲ ὡς ἀπίκετο καὶ ὁ πεζὸς ἅμ' αὐτῷ στρατὸς ἐπὶ τὸν Ἴστρον, ἐνθαῦτα διαβάντων πάντων* [*Δαρεῖος*] *ἐκέλευσε τοὺς Ἴωνας τὴν σχεδίην λύσαντας ἕπεσθαι*. VI. 117: *ἐν ταύτῃ τῇ* [*ἐν Μαραθῶνι*] *μάχῃ ἀπέθανον τῶν βαρβάρων κατ' ἑξακισχιλίους καὶ τετρακοσίους ἄνδρας*.

Maculosus procul dubio est locus capitis 60, quantumvis haud ita magna sit, quam abstersam velim, macula. Exponit Herodotus de tribus magnis Samiorum operibus, quae reliqua omnia in Graecia exstructa superare contendit. Unum iam enumeravit, ingentem scilicet fossam; *Τοῦτο μὲν δὴ ἓν τῶν τριῶν ἐστὶ· δεύτερον δὲ περὶ λιμένα χῶμα ἐν θαλάσσῃ, βάθος κατὰ εἴκοσι ὀργυιέων*. Fieri potest ut fallar egregie; vix enim me intelligere confiteor, quo pacto agger, in mari exstructus, circa portum duci possit; optime rem intelligerem, si scriptum esset: *παρὰ λιμένα*. In iis quae proxime sequuntur, *τρίτον δέ σφι ἐξείργαστο νηὸς μέγιστος πάντων* [*νηῶν*] *τῶν ἡμεῖς ἴδμεν*, apud scriptorem qualis est v. c. Xenophon vel Lysias ne punctum quidem temporis dubitarem, quin pellendum esset vocabulum, quod cancellis saepsi. Sed ut in Herodoto certi quid de hac re statuerem, complures eiusdem generis loci essent comparandi; in quod neglexi inter legendum animum attendere. Id vero certissimum mihi est, *ἴδμεν*, ut hoc loco legitur, Herodoteam esse formam, neque *οἴδαμεν* quod quantocius probae lectioni cedat, quibus locis in textum irrepsit: VIII. 214: *τοῦτο δὲ φεύγοντα τὸν Ἐπιάλτεα ταύτην τὴν αἰτίην οἴδαμεν*. II. 17: *οὔρισμα δὲ Ἀσίῃ καὶ Λιβύῃ οἴδαμεν οὐδὲν ἐὸν κτέ*. IX. 60: *Συνοίδαμεν δὲ ὑμῖν κτέ*. (cf. Dindorfii *Comm. de dial. Her.* p. XXXVII).

III. 68: *Οὔτε Ἀτόσσῃ δύναμαι ἐς λόγους ἐλθεῖν οὔτε ἄλλην οὐδεμίαν ἰδέσθαι τῶν συγκατημένων γυναικῶν*. Quod correctum est in hoc loco, quem morbo affectum accurata lectio demonstrat, *συγκοιμωμένων* vel *συγκατακοιμω-*

μένων, non ideo tantum mihi displicet, quod a palaeographia minus commendatur et minus est ex consuetudine Herodotea, sed etiam quoniam dubito, an omnino recte dici possit αἱ συγκοιμώμεναι γυναῖκες. Dici posse συγκοιμᾶσθαι ἀνδρί vel γυναικί non est controversum; quod vero rationi repugnat, ἀνδράσι vel γυναιξὶ συγκοιμᾶσθαι, id ne metaphorice quidem dicere licitum fuisse arbitror. Aliquanto aliter res se habet, si ponas συνοικημένων lectum fuisse, quod est solemne ut de matrimonio ita de concubinatu vocabulum, vel συγκατοικημένων.

Meo ipsius fortasse vitio factum est, ut tamdiu detineret me atque vexaret locus, de quo aliquanto prolixius mihi est agendum. Magi, quo maiorem adipiscantur et securitatem et auctoritatem, Prexaspem, a Cambyse quippe mortali iniuria affectum, in suas partes trahere cupiunt. Τούτων δή μιν εἵνεκεν, ut est III. 74, καλέσαντες φίλον προσεκτέοντο, πίστι τε καταλαμβάνοντες καὶ ὁρκίοισι, ἦ μὲν ἕξειν παρ' ἑωυτῷ μηδ' ἐξοίσειν μηδενὶ ἀνθρώπων τὴν ἀπὸ σφέων ἀπάτην ἐς Πέρσας γεγονυῖαν, ὑπισχνεύμενοι τὰ πάντα οἱ μυρία δώσειν. Fieri potest, ut nodum, quod dicunt, in scirpo quaesiverim; sed post varia demum conamina lux mihi affulsit in loco haud sanequam facillimo. Fuit quum legendum esse putarem ὑπισχνεύμενοι τ' ἀπατέοντί οἱ μυρία δώσειν; sed accuratius rem consideranti coniectura visa est haud uno nomine esse falsa. Quo melius appareat, quomodo locus sit explicandus, a simplicissimo incipiam, quae consimilis vocabuli πᾶς usus apud HERODOTUM inveniuntur exempla; VI. 23: Μισθὸς δέ οἱ ἦν εἰρημένος ὅδε ὑπὸ τῶν Σαμίων, πάντων τῶν ἐπίπλων καὶ ἀνδραπόδων τὰ ἡμίσεα λαβέειν τῶν ἐν τῇ πόλι. Samii Hippocrati mercedem promittunt dimidiam partem omnium, quae in urbe essent, rerum mancipi vel nec mancipi. Ita Graeci omnes loquebantur nec aliter hodieque nos omnes loquimur; nulla omnino loco inest difficultas, quem produco, ut difficilioris locutionis quasi primordia demonstrem et originem. Pausaniae ex ingenti praeda haecce concessa fuisse IX. 81 memoriae proditur: Παυσανίῃ δὲ πάντα δέκα ἐξαιρέθη τε καὶ ἐδόθη, γυναῖκες, ἵπποι, τάλαντα, κάμηλα, ὡς δ' αὔτως καὶ τἄλλα χρήματα, h. e. singularum rerum, e quibus praeda constabat, denae Pausaniae sunt conces-

sae. Itaque, ubi articulo rescisso, nostro, cuius causa haecce instituta est disputatio, loco scripseris *ὑπισχνεύμενοι πάντα οἱ μυρία δώσειν*, Magi putandi sunt Prexaspi polliciti] esse, omnium rerum, quae cogitari possent, sexcenas illi se esse daturos. At unus reliquus est locus, quem ad hanc facem illustrare nondum mihi contigit, IV. 88: *Δαρεῖος δὲ μετὰ ταῦτα, ἡσθεὶς τῇ σχεδίῃ τὸν ἀρχιτέκτονα αὐτῆς Μανδροκλέα τὸν Σάμιον ἐδωρήσατο πᾶσι δέκα.* Magos, maria et montes Prexaspi pollicitos, atque eorum quae promitterent neque numerum neque qualitatem (neque *ποσότητα* neque *ποιότητα*) definientes, *πάντα μυρία ὑπισχνεῖσθαι* dici intelligo; at rationi repugnat accurate indicari numerum earum rerum, quas singulas enumerare quarumque definire qualitatem (iterum hoc utor verbo, quum minus eleganter quam obscure scribere malim) scriptor omisit. Itaque alii me feliciori hunc illustrandum vel corrigendum locum relinquo. Quo facilior et promptior erit medicina, eo mihi erit gratior, memori Ruhnkeniani illius dicti, corruptelam reperire interdum difficilius esse, quam corruptis mederi, praesertim ubi mendosa scriptura tolerabilem, nec a re abhorrentem sensum efficiat. Quam hoc sit verum, ut neminem fugit, ita paucis quibusdam demonstrare lubet exemplis; neque Tu aegre feres, spero, quod seposito aliquantisper Herodoto huiusce itineris mei deverticuli comitem Te mihi addo fortassis invitum. Qui Euripidis nuperrime complures locos tentavit, neque frustra, ut mihi quidem videtur, amicissimus noster H. van Herwerden, in aliis compluribus offendi se fassus est (*Mnem.* IV. 369) in pulcherrimo Euripidis loco, v. 73 *Hippolyti:*

> *σοὶ τόνδε πλεκτὸν στέφανον ἐξ ἀκηράτου*
> *λειμῶνος, ὦ δέσποινα, κοσμήσας φέρω,*
> *ἔνθ᾽ οὔτε ποιμὴν ἀξιοῖ φέρβειν βοτά,*
> *οὔτ᾽ ἦλθέ πω σίδηρος, ἀλλ᾽ ἀκήρατον*
> *μέλισσα λειμῶν᾽ ἠρινὸν διέρχεται.*

Reliqua, quae illi displicuerant, iam non moror, sed miror, quod illud *ἦλθέ πω σίδηρος* aequo animo tulerit. Nil opus est, ut ostendam Tibi, *ἦλθε* hoc loco non coire cum coniunctione *ἔνθα*, neque in memoriam Tibi revocem necesse est Homericum *αἴθωνα σίδηρον*, ut mecum sentias unice aptum hoc loco esse

οὔτ ἦθέ πω σίδηρος [2],

ideo praetervisum, quoniam scilicet mendosa scriptura tolerabilem praebebat sensum. Quod audacter pono, minime veritus, ne in me cadat Longini convicium in gravissimo libelli περὶ ὕψους, 54. 6, loco, quem tamquam alterum Ruhnkeniani canonis exemplum afferam: 'Ρᾴδιον, ἔφην, ὦ βέλτιστε, καὶ ἴδιον ἀνθρώπου τὸ καταμέμφεσθαι τὰ ἀεὶ πάροντα· ὅρα δὲ μή ποτ' ἄρα * * * καὶ ἡ τῆς οἰκουμένης εἰρήνη διαφθείρει τὰς μεγάλας φύσεις, πολὺ δὲ μᾶλλον ὁ κατέχων ἡμῶν τὰς ἐπιθυμίας ἀπεριόριστος οὑτοσὶ πόλεμος, καὶ νὴ Δία πρὸς τούτοις τὰ φρουροῦντα τὸν νῦν βίον, καὶ κατ' ἄκρας ἄγοντα καὶ φέροντα ταυτὶ πάθη. Lacunosam sententiae priorem partem ut intelligerem neque Tourii temerariis coniecturis neque Weiskii traditorum tenacissimi interpretandi conaminibus est effectum; at id mihi videor intelligere, absonum esse, de animi perturbationibus loquentem duobus uti epithetis, quorum unum alterum necessario tollat. Πάθη τὸν βίον φρουροῦντα, h. e. perturbationes, quae vitam tuentur atque defendunt, non possunt eadem esse τὸν βίον κατ' ἄκρας ἄγοντα, h. e. vitam pessumdare atque dare praecipitem. Substituendum est vocabulum, quod et idoneum sit perturbationum epitheton, et melius conveniat cum alterius epitheti notione. Videlicet scribendum est τὰ φυρῶντα τὸν νῦν βίον, perturbationes, quae nostram aetatem miscent atque dant praecipitem. Cumulare possem exempla locorum ob eam unam causam nondum correctorum, quoniam quae tradita erant verba aliquatenus ita viderentur posse torqueri, ut eam praeberent sententiam, quam iis debere inesse nemo non videbat. Sed defungar uno Aeliani loco, XI. 9, et tum ἀναβήσομαι, ut Herodoti verbis utar, ἐς τὸν κατ' ἀρχὰς ἤϊα λέξων λόγον. Narrat Aelianus notissimum illud Phocionis apophthegma, quo Alexandri dona repudiavit. Interroganti enim, cur sibi potissimum aurum mitteret Alexander, quum respondissent, ὅτι μόνον αὐτὸν ἡγεῖται 'Αθη-

---

[2]) Valckenaerium video vocabulum σίδηρος tamquam corruptelae sedem considerasse, atque Athenaeo IX. p. 402. c. nisum coniecisse:

Οἰδ' ἦλθέ πω σύαγρος.

Sed non ea huic illustrissimi viri coniecturae inesse videtur πειθανάγκη, ut ideo meum inventum tacendum esse existimem.

ναίων καλὸν καὶ ἀγαθόν· οὐκοῦν ἔφη, ἐασάτω με τοιοῦτον εἶναι. At clamat sententia, quod iamdiu restitutum oportebat, ἐασάτω με τοιοῦτον μεῖναι. Idem revocaverim apud Plutarchum, *reg. et imp. Apophthegm. Phoc.* 9, ubi Phocion hoc traditur dedisse responsum: Οὐκοῦν, ἔφη, ἐασάτω με καὶ δοκεῖν καὶ εἶναι τοιοῦτον. Sed haecce ineptissima hoc loco τοῦ δοκεῖν καὶ τοῦ εἶναι distinctio grammaticum olet, corruptum iam locum pro virili parte redintegrantem. Etiam Plutarchum quovis pignore contenderim scripsisse ἐασάτω με μεῖναι τοιοῦτον. Scio quidem, ita Te Plutarchi locum interpretari, ac si vir et ipse sententiosus et sententiarum aliunde petitarum avidissimus Phocionem ita respondere finxisset, memor notissimi illius Aeschylei apophthegmatis:

οὐ γὰρ δοκεῖν ἄριϛος ἀλλ' εἶναι θέλει.

Sed Plutarchum lectionis ostentandae causa ineptum Phocioni obtrudisse responsum vix crediderim. Corruptum antiquitus circumferebatur in Codicibus apophthegma, quod librarii ad ingenii mensuram unusquisque refingere et ornare conabantur. Itaque neque mirari licet, quod Stobaeus, *Serm.* XXXVII. pag. 221. *Gesn.*, eandem praebet lectionem, quam e Plutarchi l. l. excitavi, et meam de novis corrupto loco assutis pannis auget et confirmat suspicionem, quod in *Phocione Plutarcheo*, c. 18, novo augmento instructum Phocionis dictum reperimus: Οὐκοῦν ἐασάτω με καὶ δοκεῖν ἀεὶ καὶ εἶναι τοιοῦτον.

In nota illa nobilissimorum Persarum de optima regiminis forma disputatione III. 82, haecce legenti mihi labem videbantur contraxisse: Τριῶν γὰρ προκειμένων, καὶ πάντων τῶν λέγω ἀρίστων ἐόντων, δήμου τε ἀρίστου καὶ ὀλιγαρχίης καὶ μουνάρχου, πολλῷ τοῦτο προέχειν λέγω. Ἀνδρὸς γὰρ ἑνὸς τοῦ ἀρίστου οὐδὲν ἄμεινον ἂν φανείη. Aliquanto, credo, concinnior esset oratio, si pro μουνάρχου reciperetur μουναρχίης; sed ita olim scriptum fuisse vix demonstrari poterit. Ea vero quae sequuntur qui accurate secum pensitaverit, non id verbis inesse agnoscet, quod scriptorem necessario cogitasse mecum confirmabit. Trium enim, quae dari possint, regiminis generum si finxeris unumquodque quantum fieri possit optimum, primas haud dubie deferendas esse monarchiae. Iam pergit: »Uno enim eoque optimo viro nil est melius", qui dicere debuerat, ut rite

oratio ad finem perduceretur: regnante enim uno eoque optimo viro. Itaque scriptum esse autumo (quis enim in talibus evidentiam et certitudinem exspectabit?) aut *ἄρχοντος γὰρ ἑνὸς τοῦ ἀρίστου*, aut *ἀνδρὸς γὰρ ἑνὸς τοῦ ἀρίστου ἄρχοντος*, quorum hoc praetulerim ob hancce observationem palaeographicam. Saepenumero a librariis integros versus, integra verba constat esse negligenter omissa, quod tum praecipue fiebat, quum versus ab eodem vocabulo inciperent, aut duo vocabula aliquam repraesentarent similitudinem, ob quam describentis oculi ab uno ad alterum facile poterant deflectere. Cuius generis *παρόραμα*, quorum nonnulla Tibi monstrata sunt *Mnem.* III. 482, hoc loco me tenere suspicor; atque idem compluribus HERODOTI locis fuit fatale, v. c. III. 134: *Λέγει Ἄτισσα τάδε: Ὅρα νυν, ἐπὶ Σκύθας μὲν τὴν πρώτην ἰέναι ἔασον· οὗτοι γάρ, ἐπεὰν σὺ βούλῃ, ἔσονταί τοι· σὺ δέ μοι ἐπὶ τὴν Ἑλλάδα στρατεύεσθαι.* Lege: *ἐπὶ τὴν Ἑλλάδα πρῶτα (α) στρατεύεσθαι*, quamquam nescio an non magis Herodoteum sit *τὴν πρώτην*, quod tamen quum in eadem sententia iam legatur, nolim h. l. restituere. Πρῶτα quum videri possit Homericis exemplis satis esse confirmatum, tamen certi quid de hoc loco constituere vix audeo. Fortasse inserendum est *πρότερον*. Eo maiore confidentia a simili vitio vindicandum esse contendo libri IV caput 117: *Τὰ περὶ γάμων δὲ ὧδέ σφι διακέεται. οὐ γαμέεται παρθένος οὐδεμία πρὶν ἂν τῶν πολεμίων ἄνδρα ἀποκτείνῃ.* Inter duo *α* tertium factum est evanidum, atque refingendum: *πρὶν ἂν τῶν πολεμίων ἄνδρα ἕνα (α') ἀποκτείνῃ.* IV. 3: *Ἐκείνην τε δὴ ὑπερβάλλεσθαι τὴν ἀπόδοσιν τῶν ἵππων, βουλομένην ὡς πλεῖστον χρόνον συνεῖναι τῷ Ἡρακλέϊ.* Legendum *ὑπερβάλλεσθαι ἀεί.* VII. 6: *εἰ μέν τι ἐνέοι σφάλμα φέρον τῷ βαρβάρῳ, τῶν μὲν ἔλεγε οὐδέν, ὁ δὲ τὰ εὐτυχέστατα ἐκλεγόμενος ἔλεγε τόν τε Ἑλλήσποντον ὡς ζευχθῆναι χρεὼν εἴη ὑπ' ἀνδρὸς Πέρσεω*, leg. *τὰ ἀεὶ εὐτυχέστατα.*

Perlegi nuper libellum, futilem illum quidem atque frigidissimum, at ob BASTII egregias annotationes lectu dignissimum, ANTONINI LIBERALIS *Metamorphoseon* congeriem. In quo quum multa alia vitia, vel post BASTII curas, tum imprimis frequentia eius, de qua locutus sum, librariorum socordiae exempla adnotavi, quorum unum et alterum Tecum

communicabo. *Metam.* XII. βουλήσει δὲ τοῦ Ἡρακλέους ἀμελῆσαι τῶν ἐπιταγμάτων τοῦ παιδός, leg. τῶν ἔπειτα ἐπιταγμάτων. Ibid. XIV. πρὸς ταύτην ἀετῷ πόλεμός ἐστι καὶ ἐρωδιῷ, leg. ἀεὶ ἀετῷ. Ibid. XXIII. Λέγεται δὲ ὁ τόπος παροδευόντων ἀχρὶ νῦν σκοπιὰ Βάττου, leg. παρὰ παροδευόντων. Ib. XXVI. καὶ εἰς τρὶς ἀμείβεται πρὸς αὐτὸν ἠχώ, leg. ἡ ἠχώ. Pusillum hoc dixeris atque mentione vix dignum, articulum hoc loco esse omissum. Sed obliteratum articulum universam sententiam pessumdedisse, hicce documento Tibi sit Polyaeni locus III. 10. 4: οἱ γὰρ στρατιῶται μετὰ ἐλπίδος ἀγαθῆς ἠγωνίσαντο θεῖον ἔχειν οἰόμενοι σύμμαχον. Ecquid certius esse potest, quam legendum esse ἠγωνίσαντο, τὸ θεῖον κτέ. Eiusdem generis vitia in nullo scriptore Graeco non occurrunt, atque sanorum locorum comparatio laborantium facillimam reddit emendationem, et de his valet, quod eleganter dixit Menander: ὑγιὴς νοσοῦντα ῥᾷστα πᾶς τις νουθετεῖ. Quis verbi causa, collatis *Olynth.* I. 9 et II. 31 dubitare poterit apud Demosthenem *Philipp.* II. 18 pro: εὖ φρονεῖν δ' ὑμᾶς ὑπολαμβάνων δικαίως αὐτὸν μισεῖν νομίζει καὶ παρώξυνται, πείσεσθαί τι προσδοκῶν, rescribendum esse ἀεὶ πείσεσθαί τι προσδοκῶν, vel in Lysiae oratione ὑπὲρ τ. ἀδ. 16: οὐ γὰρ πενομένους καὶ λίαν ἀπόρως διακειμένους ὑβρίζειν εἰκός, ἀλλὰ τοὺς μάλιστα πιστεύοντας ταῖς αὐτῶν ῥώμαις, suadente posteriore sententiae parte in priore articulum revocare ante πενομένους, vel, ut revertar ad Herodotum, sine ullo adminiculo idem vitium eximere Herod. I. 40: αὐτίκα δὲ ἐς τοὺς δήμους φάτις ἀπίκετο, ὡς Ἀθηναίη Πεισίστρατον κατάγει, καὶ ἐν τῷ ἄστεϊ πειθόμενοι τὴν γυναῖκα εἶναι αὐτὴν τὴν θεόν, προσεύχοντό τε τὴν ἄνθρωπον καὶ ἐδέκοντο Πεισίστρατον, ubi restituendum est καὶ οἱ ἐν τῷ ἄστεϊ, et Herod. VII. 4: Καὶ τοῦτο μέν, ὡς προσπταισάντων τῶν πρώτων (sine dubio pro superlativo comparativus est revocandus; sed malim πρότερον legere, quam quod Tu commendasti, *Mnem.* III. 487, προτέρων) περιπλωόντων περὶ τὸν Ἄθων, προητοιμάζετο ἐκ τριῶν ἐτέων κου μάλιστα ἐς τὸν Ἄθω, ubi quantocius legatur μάλιστα τὰ ἐς τὸν Ἄθω.

Cap. 124 memoriae est proditum, quomodo Polycratis filia, somnio deterrita, patri iter ad Oroetem dissuaserit, eumque precibus suis, lacrimis atque verbis male ominatis adeo fatigaverit, ut ira excandescens illi fuerit minatus, ἢν σῶς ἀπονοσ-

τήσῃ, πολλόν μιν χρόνον παρθενεύσεσθαι (ita enim e Tua emendatione, *Mnem.* IV. 23, legendum est pro *παρθενεύεσθαι*). Ἡ δὲ ἠρήσατο ἐπιτελέα ταῦτα γενέσθαι· βούλεσθαι γὰρ παρθενεύεσθαι πλέω χρόνον ἢ τοῦ πατρὸς ἐστερῆσθαι. Si pater tempus, per quod filiae virginitas esset servanda, accurate definisset, illa rite respondere poterat, patre servato vel diutius nuptias se velle differre. Sed pater: diu virgo manebis: minitatur. Cui illa respondeat opus est, aut *βούλομαι γὰρ παρθενεύεσθαι πολλὸν χρόνον ἢ τοῦ πατρὸς ἐστερῆσθαι*, aut *β. γ. π. πάντα χρόνον ἢ τ. π. ἐστ.*, quod egregie mihi quidem placeret, dummodo constaret, *πάντα χρόνον* apud HERODOTUM eam, quam volo, adsciscere posse significationem.

Sed illa, ut volet et poterit, *παρθενευέσθω*. Tu vero, cavendum mihi est, ne hasce meas curas Herodoteas *παρθένους* voces, versiculi memor illius

Παρθένοι αἱ παρὰ σοὶ χαρίτες· τίκτουσι γὰρ οὐδέν.

Itaque priusquam e quarto libro unum et alterum vitium eximere periclitabor, ad unum quemdam eorum, quos attigi, locorum, denuo devenio, ut qui aliorum in se continens emendationem sterilitatis convicium omnium optime a me queat depellere. Etenim convenit inter nos, III. 18: *Φάναι δὲ τοὺς ἐπιχωρίους ταῦτα τὴν γῆν αὐτὴν ἀναδιδόναι ἑκάστοτε*, pro vitioso *αὐτήν* restituendum esse *αὐτομάτην*, proprium de terra sponte foetus edente et Herodoteum vocabulum. Sexcentorum HERODOTI locorum, quibus ita nec aliter eum esse locutum fit manifestum, unus est qui et ipse labem contraxerit, II. 94: *Παρὰ τὰ χείλεα τῶν ποταμῶν, καὶ τῶν λιμνέων σπείρουσι τὰ σιλλικύπρια ταῦτα τὰ ἐν Ἕλλησι αὐτόματα [ἄγρια] φύεται.* Non enim Tu is es, qui eas infitias, foras esse eiiciendum molestum nescio cuius interpretamentum. Addo quae statim sequuntur, inde lucraturus, si quid video, loci *παραλλήλου* medicinam: *ταῦτα ἐν τῇ Αἰγύπτῳ σπειρόμενα καρπὸν φέρει πολλὸν μέν, δυσώδεα δέ· τοῦτον ἐπεὰν συλλέξωνται, οἱ μὲν κόψαντες ἀπιποῦσι, οἱ δὲ καὶ φρύξαντες ἀπέψουσι, καὶ τὸ ἀπορρέον ἀπ' αὐτοῦ συγκομίζονται.* Confer iam cum hisce, quae leguntur IV. 23: *τοῦτο ἐπεὰν γένηται πέπον, σακέουσι ἱματίοισι, ἀπορρέει δ' ἀπ' αὐτοῦ παχὺ καὶ μέλαν.* Credo legendum esse *ἀπορρέον δ' ἀπ' αὐτοῦ.* Terra ubique dicitur *φέρειν* aut *φύεσθαι.* Quod otiosum est ita re-

vera se habere exemplis demonstrare. Satius erit, hac adhibita observatione sanare aegrum vocabulum, quod fertur IV. 105: *ὄφιας γάρ σφι πολλοὺς μὲν ἡ χώρη ἀνέφαινε, οἱ δὲ πλεῦνες ἄνωθέν σφι ἐκ τῶν ἐρήμων ἐπέπεσον.* Num Tu dubitas mecum corrigere *ἀνέφερε*, iis praesertim lectis, quae de *φαίνω* et *φέρω* verbis identidem confusis disputatum est a Cobeto, *Var. Lect.* pag. 121. Vulgatae tuendae gratia obiicere quis mihi posset, quod legimus I. 78: *ταῦτα ἐπιλεγομένῳ Κροίσῳ τὸ προάστειον πᾶν ὀφίων ἐνεπλήσθη· φανέντων δὲ αὐτῶν οἱ ἵπποι μετιέντες τὰς νομὰς νέμεσθαι φοιτέοντες κατήσθιον.* Sed vix alia inter utrumque locum intercedit similitudo, quam et hic et illic de serpentibus esse sermonem. Mirum enim esse nequit, quod *ὄφιας φανῆναι* narraverit Herodotus, sed inde non consequitur, ab eiusdem consuetudine non abhorrere, de terra dicere, *ὅτι φαίνει* vel *ἀναφαίνει ὄφιας.* Tua causa haec addo, quem de hoc loco disputanti assensum Tuum memini mihi negasse.

Minutiora sunt, nec tamen praetervidenda, in quae incido tertium librum denuo perlustrans, haecce: cap. 15: *πολλοῖσι μέν νυν καὶ ἄλλοισι ἔστι σταθμώσασθαι, ὅτι τοῦτο [οὕτω] νενομίκασι ποιεῖν, ἐν δὲ καὶ τῷδε τῷ Λίβυος Ἰνάρου παιδὶ Θαννύρᾳ, ὃς ἀπέλαβε τήν [οἱ] ὁ πατὴρ εἶχε ἀρχήν*, ubi utrumque a me cancellis saeptum vocabulum insiticium iudico. Cap. 20: *μέχρι δὲ τούτου θεοῖσι εἰδέναι χάριν, οἳ οὐκ ἐπὶ νόον τράπουσι Αἰθιόπων παισὶ γῆν ἄλλην προσκτᾶσθαι τῇ ἑωυτῶν.* Malim *ὅτι*. Cap. 70: *καὶ ἔδοξέ σφι ἕκαστον ἄνδρα Περσέων προσεταιρίσασθαι τοῦτον τῷ πιστεύει μάλιστα.* Lege *πιστεύοι.*

Quum mihi non sit in propositis, omnes, quas in libro quarto fecerim, iam coram Te effundere observationes, sed quum id potius agam, ut quod mihi supersit otii huic tamquam appendici impendam, eas potissimum eligam, quae aut confirment insuper, quae de tertii libri uno alterove disputaverim loco, aut eius sint generis, ut longiore opinionis meae expositione non egeant.

Ac statim in quinto eius libri capite in aliis dubitare mihi subiit de unius, qui tres recensentur Targitai regis filii, nomine in hisce: *γένεος μὲν τοιούτου δή τινος γενέσθαι τὸν Ταργίταον, τούτου δὲ γενέσθαι παῖδας τρεῖς, Λιπόξαϊν καὶ Ἀρπόξαϊν καὶ νεώτατον Κολάξαϊν.* Narratur deinde, unde sit factum, ut minimo

natu fratres universum detulerint regnum, atque exponitur, quaenam Scytharum stirpes a singulis hisce fratribus nomina duxerint. De minimo vero natu haecce: *ἀπὸ δὲ τοῦ νεωτάτου αὐτῶν τοὺς βασιλέας, οἳ καλεῦνται Παραλάται· σύμπασι δὲ εἶναι οὔνομα Σκολότους, τοῦ βασιλέος ἐπώνυμον.* Primum pro *βασιλέας*, quod iam aliis videtur in mentem venisse, legendum est *βασιληΐους* (idem vocabulum videtur periisse IV. 20: *Πέρην δὲ τοῦ Γέρρου ταῦτα δὴ τὰ καλεύμενα βασιλήϊά ἐστι καὶ Σκύθαι οἱ ἄριστοι καὶ πλεῖστοι καὶ τοὺς ἄλλους νομίζοντες Σκύθας δούλους σφετέρους εἶναι.* Ita enim legerim: *καὶ Σκύθαι οἱ βασιλήϊοι, ἄριστοι καὶ πλεῖστοι κτέ.*). Dein vix exputo, quo pacto a rege *Κολάξαϊ* Scythae *Σκολότων* nomen adsciscere potuerint. Itaque mihi quidem vix dubium est, alterutrum nomen corruptum esse.

Articulus periit IV. 15: *ὡς ἐγὼ συμβαλλόμενος ἐν Προκοννήσῳ τε καὶ Μεταποντίῳ εὕρισκον.* Scribendum *τὰ ἐν Προκ.* Eidem vitio medendum est VII. 172: *ἐν δὲ τῷ Ἰσθμῷ ἔσαν ἡλισμένοι πρόβουλοι τῆς Ἑλλάδος ἀραιρημένοι ἀπὸ πολίων τῶν τὰ ἀμείνω Φρονεουσέων περὶ τὴν Ἑλλάδα.* Legendum enim: *ἡλισμένοι οἱ πρόβουλοι.* Male divisa vocabula duos hosce locos pessumdederunt: IV. 19: *τὸ δὲ πρὸς ἠῶ τῶν γεωργῶν τούτων Σκυθέων διαβάντι τὸν Παντικάπην ποταμόν, νομάδες ἤδη Σκύθαι νέμονται, οὔτ' ἔτι σπείροντες οὐδὲν οὐδὲ ἀροῦντες.* Herodoto Tu mecum *οὔτε τι* restituas, atque eodem utere artificio IV. 197: *καὶ τούτων οἱ πολλοὶ βασιλέος τοῦ Μήδων οὔτε τι νῦν οὔτε τότε ἐΦρόντιζον οὐδέν.* Hic enim dirimendo, quod illic perperam erat coniunctum, legas: *οὔτ' ἔτι νῦν.* Spiritu et accentu mutato sua verba Herodoto restitueris IV. 78: *τὸν ἡ μήτηρ αὕτη γλῶσσάν τε Ἑλλάδα καὶ γράμματα ἐδίδαξεν.* Immo *μήτηρ αὐτή.* IV. 106: *Νομάδες δέ εἰσι, ἐσθῆτα δὲ Φορέουσι τῇ Σκυθικῇ ὁμοίην, γλῶσσαν δὲ ἰδίην ἔχουσι, ἀνθρωποΦαγέουσι δὲ μοῦνοι τούτων.* Ineptum est *τούτων*, atque scribendum aut *Σκυθῶν*, aut *τῶν ταύτῃ*, ut cap. 109: *καὶ ΦθειροΦαγέουσι μοῦνοι τῶν ταύτῃ.* IV. 107: *μελάγχλαινοι δὲ εἵματα μὲν μέλανα Φορέουσι πάντες, ἐπ' ὧν καὶ τὰς ἐπωνυμίας ἔχουσι.* Immo *ἀπ'*. Eadem chorda compluries apud Herodotum est oberratum. Cf. VII. 164: *ἀλλ' ἀπὸ δικαιοσύνης ἐς μέσον Κῴοισι καταθεὶς τὴν ἀρχὴν οἴχετο ἐς Σικελίην.* Leg. *ὑπό.* VIII. 14: *ταύτας δὲ διαΦθείραντες, ὡς εὐ-*

φρόνη ἐγένετο, ἐπέπλωον ὀπίσω ἐπὶ τὸ Ἀρτεμίσιον. Iamdiu restitutum oportebat ἀπέπλωον. IV. 111: ἢν δὲ αὐτοὺς διώκωσι, μάχεσθαι μὲν μὴ, ὑποφεύγειν δέ. ἐπεὰν δὲ παύσωνται, ἐλθόντας αὐτοὺς πλησίον στρατοπεδεύεσθαι. Scythae iuvenes quosdam suos prope Amazonas castra ponere iusserant, qui paullatim adpropinquando ac nullo pacto mulieres formosissimas laedendo primum amicitiam, deinde matrimonium cum illis inirent. Itaque aggressis non resistere, sed aufugere praeceptum est; ubi vero desiissent illae persequi, *denuo* prope eas castra collocare. Ita res se habet, et nullus dubito, quin pro αὐτούς, quod quo referatur non habet, restaurandum sit αὖτις.

Unum addam locum, quippe ex quo occasionem sim lucraturus alio exspatiandi, atque una opera complures locos emendandi, IV. 94: Ἀθανατίζουσι δὲ τόνδε τὸν τρόπον· οὔτε ἀποθνήσκειν ἑωυτοὺς νομίζουσι, ἰέναι δὲ τὸν ἀπολλύμενον παρὰ Ζάλμοξιν δαίμονα· οἱ δὲ αὐτῶν τὸν αὐτὸν τοῦτον νομίζουσι Γεβελέϊζιν. Quamdiu inter nos constabit, aliquod discrimen esse inter vocabula νομίζω et ὀνομάζω, vel perpensis, quin probatis illis, quae de utriusque vocabuli usu docte, ut solet, disputatum est a Schaefero *ad* Dion. Halic. *d. Comp. Verb.* pag. 142, dubium esse nequit, quin nostro loco pro νομίζουσι rescribendum sit ὀνομάζουσι. Sed est, cur dubitem, an non universa haec sententia, οἱ δὲ αὐτῶν τὸν αὐτὸν τοῦτον νομίζουσι Γεβελέϊζιν, extrinsecus in textum Herodoteum fuerit illata. Quae enim Herodotus de Zalmoxide (qui aliis Zamolxis, minus recte, ut e Porphyrio in *vita Pythagorae* colligo, audit) memoriae prodidit, ea quid mirum lexicographos ad unum omnes in suas recepisse συναγωγάς. Sed neque apud Photium (pag. 51. 4, apud quem legendum videtur καὶ ἔλεγεν, ὅτι οὔτ' ἂν αὐτὸς ἀποθάνοι, οὐθ' οἱ μετ' αὐτοῦ, ἀλλ' ἕξουσι πάντα τἀγαθά [ex Herodoto, pro πάντα ἀγαθά]), Suidam vel *Etymologum Magnum*, neque apud eos, qui praeterea hancce ab Herodoto mutuati sunt fabulam, Eustathium dico (*ad Odyss.* IX. 65), Clementem Alexandrinum (IV. pag. 479 *Sylb.*), Iamblichum (§ 173 *Westerm.*), Porphyrium (§ 14 *Westerm.;* tertium ille novit Zalmoxidis nomen, quod coniecturae meae confirmandae gratia addo: τινὲς δὲ καὶ Θαλῆν τοῦτόν φασιν ὀνομάζεσθαι), Lucianum (passim, in aliis XXIV. 1, ubi in verbis ὡς μάθητε οὐ Σκύθαις μόνον

ἐπιχώριον ὂν ἀπαθανατίζειν, pro composito ex HERODOTO simplex ἀθανατίζειν refinxerim), DIOGENEM LAERTIUM Gebelizis illius fit mentio; quem non omisissent, credo, si invenissent in auctore, quem expilaverunt. Sed, utrum ab interpolatore haec verba profecta sint annon sint, ut parum refert, ita perdifficile est diiudicatu. Hisce igitur missis redeo ad vitiosam Codicum scripturam νομίζουσι pro ὀνομάζουσι, ut eiusdem corruptelae nova quaedam exempla addam iis, quae alio loco proposui. Duobus locis in ea re peccatum est apud PHOTIUM, pag. 150. 2: Κατοιόμενος: ὀνομάζων ἑαυτὸν μέγαν καὶ φυσῶν. Immo νομίζων. Pag. 186. 16: Κύνα: τονωπα (ita Codex. Vide an legendum sit τὸν Κύνα) δοκεῖ πρῶτος ὀνομάσαι Σωκράτης. Lege ὀμόσαι. Addo LONGINI locum difficillimum, non quo mihi videar corrupta vocabula ab omni labe vindicasse, sed ut Tibi aliisque inventum meum diiudicandum et, sin minus placuerit, emendandum proponam. Sermo est de iurisiurandi in orationibus usu: DEMOSTHENES excitatur, qui sic usus esse dicitur iureiurando, ὡς μὴ Χαιρώνειαν ἔτ' Ἀθηναίοις ἀτύχημα φαίνεσθαι. Deinde sibi opponit, quod auditorum quidam obiicere posset, XVI. 4: Κἀπειδήπερ ὑπήντα τῷ ῥήτορι: Λέγεις ἧτταν πολιτευσάμενος, εἶτα νίκην ὀμνύεις, διὰ ταῦθ' ἑξῆς κανονίζει, καὶ δι' ἀσφαλείας ἄγει καὶ ὀνόματα, διδάσκων, ὅτι κἀν βακχεύμασι νήφειν ἀναγκαῖον. Non audiendum esse TOUPIUM, qui diversa et aliena miscet, ac prae admiratione loci difficultatem non agnovit, multis demonstrare possem. Sed ad finem propero; itaque meam de loco restituendo sententiam nude Tibi proponam. Ita enim lego: καὶ δι' ἀσφαλείας λέγει καὶ ἐνταῦθα, διδάσκων κτἑ. Atque haec quidem hactenus. HERODOTUM legere atque eius lectionis fructus Tecum communicare pergam; qui si exspectationi Tuae minus satisfaciant, proverbio illo me defendo, quod nosti: ἂν μὴ παρῇ κρέας ταρίχῳ στερκτέον.

Supra, pag. 72, mentionem feci ANTONINI LIBERALIS, cuius libellum vel post egregias BASTII curas cuiuscumque generis vitiis dixi esse refertum. Tamquam δευτέρας τραπέζας unum et alterum ANTONINI Tibi proponam locum paullo emendatiorem. *Metamorph.* IV. Τόργον δὲ τὸν ἀδελφὸν Κυψέλου . . . . λαὸν ἔποικον ἀγαγεῖν εἰς Ἀμβρακίαν. Fuit ille Cypseli frater Γόργος, non Τόργος, cf. STRAB. VII. 325. Eodem vitio *Metam.* VIII.

Μεταν είρης nomen in Μεγανείρην abiit. *Metam.* V: ἐμίγνυντο φοιτῶν εἰς τὰ ἐκείνης οἰκεῖα. Immo οἰκία. Idem vitium recurrit XXXIV: καὶ ὁ μὲν ἐν τῷ οἴκῳ σκοταῖος ἐπὶ τῆς ςρωμνῆς ἐξεδέχετο τὴν κόρην. Leg. οἰκίῳ, quod absque vitio legitur XXXIX: καὶ νυκτὸς ἐπὶ τὰ οἰκία τῆς Ἀρσινόης ἐφοίτα. Verba οἰκέω et οἰκίζω, quae confusa compluribus Herodoti locis Tu demonstrasti nocuisse, apud Antoninum quo semel et iterum commutata sunt, e. g. XXXVIII: ᾤκησε δὲ Τελαμὼν μὲν Σαλαμῖνα τὴν νῆσον, restituatur ᾤκισε. *Metam.* VIII: ἤδη δὲ τῶν Δελφῶν βουλευομένων εἰς ἥντινα παρέσονται χώραν, ὁ θεὸς ἀπόλυσιν ἐσήμανε τῆς συμφορᾶς, εἰ κτέ. Corrigendum est πρεύσονται. Idem verbum alius generis vitium suscepit cap. XXXII: καὶ εἰς τοῦτο παροῦσαν τὸ ἱερὸν Δρυόπην ἥρπασαν Ἁμαδρυάδες νύμφαι κατ' εὐμένειαν. Scio esse, qui talia defendere conentur; nec tamen deërunt, qui mecum πριοῦσαν legere malint. *Metam.* XXIII: ᾤκει δὲ ὁ Βάττος ἐπ' ἄκρῳ τῷ σκοπέλῳ. Leg. τῷ. Ibid. Ἐπεὶ δὲ αὐτὰς Ἑρμῆς ἔκρυψεν ἐν τῷ Πριῶνι παρὰ τὸ Κορυφάσιον, εἰς τὸ σπήλαιον εἰσελάσας ἀντίκρυς Ἰταλίας καὶ Σικελίας, αὖθις ἀφίκετο πρὸς τὸν Βάττον ἀλλάξας ἑαυτόν· καὶ πειρώμενος, εἰ αὐτῷ συμμένειν ἐπὶ τοῖς ὅρκοις ἐθέλει, διδοὺς δὲ μισθὸν χλαῖναν, ἐπυνθάνετο παρ' αὐτοῦ, μὴ κλοπιμαίας βοῦς ἔγνω παρελαθείσας. ὁ δὲ Βάττος ἔλαβε τὴν χλαμύδα καὶ ἐμήνυσε περὶ τῶν βοῶν. A compluribus vitiis vindicandum proposui locum. Etenim primum Πριῶνι solemni errore scriptum est pro Πρηῶνι, deinde, ut mancae subveniatur et vitiosae constructioni legendum est πειρώμενος, εἰ αὐτὸς ἐμμένειν τοῖς ὁρκίοις ἐθέλει, et pauca post vocabula εἰ μὴ κλοπιμαίας βοῦς ἔγνω. Denique pro χλαμύδα haud dubie reponendum est χλανίδα, quod sibi inventum Munckerus repudiavit. *Metam.* XXV. Καὶ αὐτοῖ εἶπεν ὁ θεὸς ἱλάσασθαι δύο τοὺς Ἐριουνίους. Doctam me legere memini de duobus istis Eriouniis, θεοῖς καταχθονίοις, disputationem. Num Tu putas, docto illo nos egere apparatu, si olim lectum fuisse coniiciamus ἱλάσασθαι δεῖν τὰς Ἐρινύας, quod mihi in mentem venit, ut primum locum inspexi.

Scripsi *Briellae Idib. Octobr.* E. Mehler.